

CONSECRATION AU SACRE-CŒUR DE JESUS

Rme Domine,


 UAM encyclicis Litteris Annum Sacrum datis die
 25 mensis Maii huius anni de *hominibus sacratis-*
simo Cordi Iesu devovendis Ssmus Dominus Nos-
 ter LEO PP. XIII spem expressit atque fiduciam, fore ut
 maxima inde bona, nedum in singulos, verum etiam in
 universam christianam Familiam derivarent; eam singu-
 laris quidam christiani populi consensus ac prompta
 voluntas confirmavit atque auxit. Nam simul ut supremi
 Pastoris audita vox est compellantis orbem ut divinam
 caritatis victimam sibi demereret totumque se Illi man-
 ciparet, statim populus romanus imprimis, exinde vero
 non Italia solum, sed omnis Europa dissitaeque quam-
 plures regiones visae sunt quasi mutuo certare, ut Sum-
 mi Pontificis votis ac voluntati sese morigeras exiberent.
 Quae omnia quanto gaudio cumularint Sanctissimum
 Patrem satis quidem significavi litteris diei 32 mensis
 Iulii huius anni, quibus Ipsius Pontificis nutu ac nomine
 Tibi et singulis e tuo Clero magnopere gratulabar, age-
 bamque gratias.

Nunc vero allatum est, memoratas encyclicas Litteras
 ad remotiores regiones quasdam serius pervenisse, quam
 definitum rei peragendae tempus postularet. Quamobrem
 Sanctitati Suae supplices preces oblatae sunt, ut harum
 etiam pio desiderio satisficeret, facta ipsis potestate sese
 devovendi *Sacratissimo Cordi Iesu*, iisdem conditionibus,
 ac si cum ceteris legitimo tempore solemne hoc religio-
 nis testimonium edidissent. Cui petitioni Beatissimus
 Pater benigne annuens, quin etiam largius indulgens,
 concessit ut non modo fideles, ad quos encyclicae Lit-